FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG...

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

74

FRANCISCI ERNESTI BRVCKMANNI, D.

EPISTOLA ITINERARIA LXXIV.

SISTENS

MEMORABILIA SCHEMNICENSIA IN HVNGARIA.

AD

VIRVM GENEROSISSIMVM,

DOMINVM,

DOMINVM

JOH. JAC. DE LVEDECKE,

SERENISS. AC CELSISS. BRVNSVIC. ET LVNEBVRG. DVCIS CONSILIARIVM STATVS PRÆCELLENTEM,

DOMINVM IN HOHENTHVRN ET KLEINEN SICKTE &c.

CVM FIGVR. ÆNEIS.

WOLFFENBVTTELÆ, MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

GENEROSISSIME DOMINE,

FAVTOR MAXIME COLENDE!

Monti Regio die 4. April. 1724. valedixi, iterque ulterius per *Schernovizium*, *Zernovitz*, parvum ad Granum oppidulum 1. mill. usque ad *Roſelinas* ſeu *Vibnenſes thermas* in Comitatu Barſienſi; adhuc 1. mill. proſecutus. Adeſt pagus *Eiſenbach*, Scloavice Wihne, Vibne, (quæ vox tantundem eſt, quod Germanis *Eiſenbütten* vel *Eiſenhammer*, officina ferraria) vel *Töplitz*, nam Scloavi, die Sclavachen, qui hic habitant, omnes thermas ſua lingua *Töplitz* nominare ſolent. Aquæ hujus loci calidæ, Schemnicenſi urbi propriæ, frequenter ab ejus incolis, aliisque valetudinariis, & recreationis & ſanitatis recuperandæ gratia, ſalutantur. Ex cuniculo quodam mineræ Martis derelicto in monte tres ſaliunt ſcaturigines aquarum cum ſtrepitu non inamœno fervidarum ac limpidarum, odoris nullius, ſaporis ſubacidiuſculi & parum adſtringentis vel potius tonici. Hæc aqua calida per canales ligneos rotundos, craſ-

Digitized by Google

craſſos & clauſos, ſeu arbores excavatas, currit CCCL. circiter paſſus usque ad duo magna in certa domo lavacra, in quibus aqua colligitur & in quibus ſimul lavatum itur; aqua antea ad ſcaturigines eſt fervida, fit tamen in itinere & lavacris tepida & ad balneandum apta; thermalis unda tartarum vel tophum craſſum & Martialem, mox caſtaneum, mox rutilantem, mox in ſtratis diverſis ſuperincumbentibus variegatum, mox croceum, ſubflavum, ſolidum interdum adeo, ut chalybis ope ignis ex eo elici queat, mox friabilem & quaſi arenoſum, in tanta copia, ut ferme ſingulis menſibus canales, per quos aqua ex monte decurrit, ab eo ſint depurandi, quoniam admodum durus, imo interdum quaſi ferreus, mox dictos ductus firmiter obſtrueret, nec aquæ liberum amplius curſum & tranſitum permitteret, deponit; lithobiblia quoque ſeu foliorum ex arboribus deciduorum veſtigia in eo topho notavimus, qui & ligna, gramina & ſtramina &c. incruſtat; mecum quoque fragmentum ferrei obſcuri coloris inter alios harum thermarum tophos, foraminulis ſeu cavitatibus piſi magnitudine ſemirotundis plenum non aliter ac ſi piſa, quorum veſtigia ad invicem in cellulis rotundis relicta forent, in iſto poſita fuiſſent, attuli; Aquæ ſalientes ex cuniculo quodam vetuſto, uti dictum, oriuntur, & certum perhibetur, pagum olim ferrifodinas & officinas excoctorias, belli vero tempore derelictas, habuiſſe; magni adhuc proſtantes ſcoriarum cumuli rudera iſtarum merito exiſtunt; montes ad Schemniczium *Eiſenbach* dicti terriferaces, inquit P. Steph. Cſiba in diſſ. de montibus Hungariæ Cap. IV. p. 54. 148. §. I. ubi eruuntur etiam magnetes (de quibus vero præſens nihil plane reſciſcere potui) ubi licet ferri venæ inveniantur, quia tamen minus locupletes ſunt, & aliunde in locis haud ita remotis abundantiores ſuppetunt, fere neglectim habentur. In præſenti tantum officina quædam & furni pro excoquendo auro & argento ex mineris Fig.

 Schemni-

Digitized by Google

Schemnicenſibus, quo & pertinent, hic videndi. Aqua calida, dubio procul, de Marte participat; thermis in balneo quidem ſemel, non ſine peculiari corporis & animi recreatione, uſus, experimenta vero & tentamina ad cognoſcenda principia ac contenta, ob temporis brevitatem, nulla feci; uſum internum quidem hactenus non habent firmiter autem credo, cum, me judice, nihil aliud ſint, quam acidulæ calidæ, quod etiam interne optime & ſalubriter adſumi poſſent. Uſus in balneis externus laudatur in lienis, hepatis & glandularum meſeraicarum infarctu, chloroſi, fluore albo, ſuppreſſione & difficultate menſium, anaſarca, tympanitide, laſſitudine ſpontanea, & præcipue commendatur in podagra, aliisque quamplurimis affectibus. Situs regionis totus montanus eſt. Conf. de his thermis Ed. Browns Reiſen pag. 175. 176. & Reverendiſſ. Dn. Matth. Bel, verbi divini apud Poſonienſes miniſtri vigilantiſſ. Prodromum Hiſtor. Hungar. Nov-Antiquæ, qui ſimul delineationem & topographiam harum thermarum in figura quadam pag. 139. exhibuit.

Ex thermis laudatis in tota via hinc & inde molæ, in quibus mineræ metallicæ in arenam & pulverem aqua & ſudibus ferro munitis franguntur & contunduntur, usque ad Schemnicenſem urbem proſtant; per pagum *Windiſchleuten*, 1. mill. ad quem prima argentifodina videnda, *Schemnicium*, 1. mill. pervenimus.

Selmiczbania, *Schemnitz*, una ex ſic dictis VII. urbibus regiis metallicis, & quæ præ reliquis celebris, copioſa & populoſa eſt, montibus circumdata, cum & domus ipſæ reliquaque ædificia a radicibus in & ad montes, quod ad majorem partem in longitudinem & acclivem altitudinem, exſtructa, partim ad montium apices compoſita exiſtunt. Locus cum omnibus ad urbem

 perti-

pertinentibus plateis in longitudine ferme ad 1. mill. extenſus perhibetur.

Schemnitz, quaſi Schaafnitz ab ovibus, quoniam a multis retro annis, forſan & ſeculis ? in his montibus villæ tantum, oviariæ ac lanigerorum gregum caulæ fuerint, dicitur.

Metalla, quæ hic eruuntur, ſunt aurum, argentum, plumbum, aliquantum cupri, quod vero non multum æſtimatur; Jovis mineræ, ſed rariores, interdum quoque inveniuntur. Argentifodinæ celebratiſſimæ, magni furni fuſorii, machinæ montanæ, juxta ac officinæ metallicæ & excoctoriæ, reliquaque ad rem metallicam pertiventia conſideratu certe digna.

Hoſpitio hic benevole & amice exceptus fui a Domino Schneider, nobili Hungarico generoſiſſimæ familiæ, cui cum coſta & progenie ſuaviſſima cunctæ ad voluntatem & votum res proſpere, beate ac fortunate fluant! hic mihi occaſionem gratioſe pro humanitate ſua laudabili dedit conveniendi ſummum rerum metellicarum Præfectum, Oberſt-Cammer-Graff, lib. Baronem de Sternbach; lib. Baronem de Hellbach, virum ingenio, prudentia, comitate & humanitate plurimos ſui ordinis ac dignitatis longo intervallo præcedentem; hic dynaſtes doctoris medicinæ gradu gaudet, ſed praxin non plus exercet ambulatoriam, potius ſenex longævus metallifodinis, quas ſtrenue colit, ſolummodo delectatur; Doct. Kochlatſch, Med. celeber. Doct. Richter, poliatrum conſultiſſ. Dom. Voigt & Clement, verbi divini homiletas vigilantiſſ. Dom. Rect. Grebitz & Con-Rect. Pellionis, ac pharmacopœum Lezium, &c.

Die 6. Aprilis 1724. aliquot metallifodinas, v. g. cuniculum trium SS. Regum, den heil. drey Königs-Stollen, Pacher-Stollen, & puteum Wind-Schacht reco-

recognovi. Inter laudatas, imo & reliquas hujus territorii cavernas metallicas, tunc temporis cuniculus **Pachers ſtollen** ditiſſimos reditus ſeu pecunias ex metallis quæſitis, **Ausbeuthe** vocabulo metallico appellatas, dedit. Sunt qui hujus regionis argentifodinarum originem primam a duabus lacertis, quæ urbs adhuc hodie in inſignibus habet, deducere ſtudent. Alii referunt, caſtorem, amphibium animal, terram pedibus ſcalpentem, aliquando repertum, quo glande trucidato, inter lapides ab iſto pedibus dentibusque ſolutos primam auri mineram inventam, a qua beſtia & cuniculum, adhuc hodie **Biberſtoll** vocatum, nomen ſuum accepiſſe.

In cuniculo **Mohrſtollen** olim & granati, gemmæ pellucidæ, reperti, ſed hic puteus propter malas & venenoſas exhalationes jam ante multos annos derelictus; pronunc vero incipiunt iterum iſtam metallifodinam recolere; calyces euchariſtici in domo Evangelicorum precatoria hic loci cum granatis ex nominata foſſa ornati exiſtunt. Cuniculus, a Sancto Michaële nomen habens, omnium hic profundiſſimus eſt. In præſenti unica tantum fodina reditus (**Ausbeuthe**) dat ſuperfluos, omnes reliquæ vel ſuis tantum ſumtibus coluntur, **bauen ſich frey, ſind im Freybau,** vel pecunias, (**Zubuß**) ad colendum adjiciunt.

Fodinæ non in 136. Kukus, uti in Saxonia, diſtribuuntur, ſed tantum in XVI. partes, quæ XVI. partes iterum ſuas diviſiones ac ſubdiviſiones in quartas, &c. habent.

Metallifoſſorum hujus terræ numerus ad tria millia ferme accedit, veſtes habent ex linteo albas, exceptis iis, qui ex Miſnia huc venerunt, nam iſti ſua nigra & lintea retinent induſia. Antra metallica ex ſuis viſceribus aurum, argentum & Saturnum in apricum ducunt;

 prio-

priora duo metalla ex mineris cum ſudore extracta & flammis pura reddita, ſingulis ſeptimanis Cremnicium per equites ab argento dictos, Silber-Reuter, portantur, & ibidem a monetæ curſoribus, nullo non ſeptem dierum ſpatio XII. usque XX. auri marcæ, ſignantur.

Omnes hujus regionis mineræ, quod ad valorem, ditiores ſunt auro, quam argento, h. e. citius 4000. floreni monetæ aureæ, quam 1000. floreni monetæ argenteæ, iſtis, qui partes in fodinis habent (Gewercken) diſtribuuntur. Porro & ſingulæ mineræ Saturninæ Schemnicenſes Solem ſimul continent.

Interdum in fodinis elegantiſſimi occurrunt luſus minerales, quos hic Greiſen termino metallico proprio appellant, qui cryſtallos, duos non raro digitos longas, pellucidas, lacteas, coloris albi, rubri, perſici, cœrulei & viridis, repræſentant; Princeps Ragotzi integrum aliquando pro equis ornatum ex ejusmodi pſeudo-gemmis varie coloratis ſuo tempore elaborandum curavit, & quidem tam pulcrum, ut inſcii non aliter, eſſe optimos ex Orientali India lapides pretioſos, putaverint.

Cum Dom. Lezium, pharmacopœum egregium, Cothenii Anhalt. natum, ſalutarem, monſtrabat nobis ſal purgans Hungaricum, Ungariſch Purgier-Saltz, quod in copia ibi coquit; hujus ſalis primus inventor fuit Dom. Andr. Hermannus, M. D. Neoſolio-Hungarus, qui de iſto peculiarem diſſert. epiſtol. in duobus foliis, ſub titulo: De Sale nativo cathartico in fodinis Hungariæ recens invento 4t. Poſonii 1721. edidit, quique cum laudato Pharmacopœo modum parandi communicavit. Hoc ſal purgans præſtantius eſt ſale d' Epſon, meliores, puriores & multo candidiores habet cryſtallulos; quod ad uſum, convenit cum ſale Anglico, Sedlicenſi, &c. doſis quoque eadem, nempe uncia una vel duæ; Viennam ab ipſo phar-

Digitized by Google

pharmaceutices magiſtro ad centumpondia mittitur, libram vendit civilem pro XX. groſſis imperialibus. Ad mineram, ex qua conficitur, quod attinet, creſcit illa in vetuſtis ac deſolatis quibusdam puteis montanis, apponit ſe pro ſtatu & curſu ventorum ſubterraneorum, der Wetter, ita, ut ſæpe ſpatio aliquot horarum magna copia iſtius mineræ adſit; tempeſtatibus vero ſubterraneis curſum variantibus, aliam quærentibus plagam, hancque petentibus vel mutantibus, ſtatim rurſus iſtam reſolvunt mineram, ſecumque in auras abducunt, ita ut ſæpe poſt unicam horam nec veſtigium iſtius in loco, quo antea magna illius copia invenienda erat, ſuperſit. Minera ſplendentis argentei coloris refert capillos albiſſimos, ſæpe ulnam longos, lanamque puriſſimam, fragiliſſimam tamen ob tenuitatem & mollitiem. Foſſores metallici hoc minerale ſalinum vocant Vitriolum album, & credo, nihil aliud eſſe, quam flores vel efflorcſcentias vitriolicas, pro ſtatu aëris ſubterranei provenientes, quemadmodum tales flores ſalinos & in pyrite metallico ac vitriolico, aëri expoſito, plus vice ſimplici obſervavimus. Modus parandi ſalis purgantis ex hiſce floribus in ſola ſolutione cum aqua dulci, depuratione, coctione & cryſtalliſatione conſiſtit; de hoc nativo ſale cathartico, vid. plura in Matth. Bel prod. citato pag. 198. item Friderici Hoffmanni Medicinæ Conſultatoriæ Part. IV. pag. 33. item Breslauer Kunſt- und Natur-Geſchichten, XVII. Verſuch pag. 311. &c.

Urbi aqua deeſt, ob cujus defectum caſulæ & machinæ, pauperiori mineræ ſudibus in arenam, aquarum ope molas vertentium, contundendæ, unde aurum & argentum lotione deinde excernitur, dicatæ, non perpetuo in motu concitantur, alias divitiæ ſolares & lunares adhuc majores ex mineris accumulandæ. Proverbium hinc

hinc hic loci, quando pluit, habent: *Schemnicii* pluit tantum ſolidos obryzatos, es regnet in Schemnitz **lauter Ducaten**: quoniam tunc labores metallicos melius & validius in caſulis, **Puchwercke** appellatis, proſequi poſſunt; eſt autem ea aquæ penuria hyeme aſpera maxime & æſtate flagrante perfrequens, prout vel frigus vel æſtus intenduntur. Vere igitur & autumno madido illic opus cum maxime fervet, auctis, per liqueſcentes nives & glacies, aut aſſiduos imbres, torrentibus. De metallifodinis Schemnicenſ. vid. plura apud Jacob. Tollium in Epiſtol. Itiner. pag. 156. Georg. Krekwitz in totius Regni Hungariæ ſuperior. & inferior. accurata deſcriptione pag. 758. ſequentes mineras hic collectas mecum in Germaniam attuli: 1. Mineram Cinnabarinam, auro impraegnatam. 2. **Ertz-Tropffen** ſeu argentum rude vitreum & rubrum, quod in medio lapidis guttas quaſi Saturninas vel ſanguinis exhibet. 3. Argentum rude vitreum, argenti dives; interdum monetæ notas, antequam ignem depurgativum expertum, admittens; convenit cum argento rudi plumbei coloris. 4. Mercurii mineram, quæ ad auri mineram proxime creſcit. 5. Vitriolum album ſeu mineram ſalis cathartici Hungarici lanuginoſam. 6. Sal cathart. Hungaricum ex antedicta minera elixiviatum. 7. Unicornu foſſile; quando aſſiduorum imbrium aqua cadens montes vi rumpit & diſtrahit, in relictis cavernis ac fiſſuris hoc minerale invenitur; quo diutius in ſole jacet & ab eo calcinationem & exſiccationem admittit, eo melius & firmius linguæ adhæret; faciem præ ſe fert ligni petrifacti, & eſt, me judice, lapis calcarius ſemicalcinatus, qui hic, loco unicornu foſſilis animalis, in officinis pharmaceuticis venditur. 8. Gelff ex fodina **der Mohr**, viridi montano adſperſum; centumpondium continet XX. uncias argenti. 9. **Kieſe** cum argento nativo cultrum

trum admittente; druſæ ſeu luſus minerales in Hungaria vocantur Kreiſen. 10. Mineram argenti divitem, cujus centumpondium continet plus, quam CC. ſemuncias argenti. 11. Marchaſitam divitem auro & argento. 12. Mineram florenorum rubram, rubicundi coloris, quæ, quando cultro ſecatur, elegantiorem adhuc ſanguineum offert colorem. Hæc minera appellatur Blut-Erz; di-metallifoſſores, quando in tale minerale incidunt, dicunt: minera ſanguinem eructat, das Erz blutet; interdum hic loci notavimus, quod mineram Mercurii pro florenorum rubra venditarint. 13. Mineram vitream cum argento rudi rubro. 14. Mineram flor. rubram, auri divitem, Cinnabarina eleganti rubedine effulgentem. 15. Mineram auri & argenti ex puteo Wind-Schacht. 16. Mineram argenti divitem cum argento nativo. 17. Aliquot diverſa ſpecimina mineræ ſolaris. 18. Min. flor. rubr. pellucidam. 19. Argentum nativum. 20. Min. ſolis & lunæ divit. 21. Mineram Jovis. 22. Achatem & Carneolum. 23. Marcaſitam argenteam, quæ lunam continet, Silber-Kies. 24. Marchaſitam auream. 25. Lithargyrum auri. 26. Druſam albam ſeu Kreiſe. 27. Mineram argento divit. 28. Vitriolum nativum viride. 29. Greis ſeu Kreiſe coloris perſici. 30. Aliam vitrioli viridis ſpeciem. 31. Kies-Vitriol. 32. Sinter brunnum, quod eſt materia fluida, quæ cum aquis ex venis metallicis profluit & ſe lapidibus apponit. Sinter dicitur a Sintern, i. e. guttatim cadere, es iſt dahin geſintert. 33. Margam albam, weiſſe Letten, marcaſitis parvis refertam; ex hac Viennæ vaſa optima Porcellanica parantur. De terra Porcellanica Indica, vid. Valentini Muſ. Muſeor. Part. II. pag. 5. 34. Graue Mächte Letten, etiam marcaſitis gravidam. 35. Limum cœruleum, blaue Letten, qui metallorum venas inveſtit,

ex quo pro diverſitate loci & coloris, metallicæ mineræ arte obſtetricante produci poſſunt. 36. Lac lapideum, Stein-Milch. 37. Gelbe Schlamm-Letten. 38. Bley-Brandt-Letten. 39. Mineram Saturni, Bley-ſchuß vel Bley-Glanz vocatam. 40. Zinnobel, auro dives, quod eſt minera Cinnabaris immatura, auro tamen prægnans. 41. Mineram lunæ Antimonialem. 42. Bley-Gelff, quæ minera aurum, argentum & plumbum continet. Maxima harum minerarum pars ex fodina S. S. trium Regum effoſſa. Diem viridium & reſurrectionis Chriſti Schemnicii, celebravi, ubi notandum, quod feriis præcidaneis, loco placentarum paſchalium, pemmata ex farina cum ovis in maſſam ſubacta & in parvos cylindros formata, Nudeln appellant, cum jure ex ſolo melle cocto & iſtis ſuperfuſo comedant, quod ferculi genus inaſſuetis ob nimiam dulcedinem tormina ac colicos excitat dolores. Inquilini vane credunt, iſtos, die feſtorum paſchalium pridiano talem cibum non ſumentes, ante feſti paſchalis ſequentis anni recurſum in aſinos quadrupedes transformari.

Urbs in foro publico ſplendidam, S. S. Trinitati ſacratam, ex lapide confectam, columnam habet. Hic & in vicinis oppidis, locisque montanis perplures ſtrumoſi, cauſam mali in aquas nivales & glaciales frigidas rejiciunt, exiſtunt. Notavi quoque, quod in oppidis metallicis, præcipue hic, panem tantum ex tritico ſimilagineum albiſſimum comedant, nec niger panis ſecalitius apud leviſſimum puellum paſtoritium inveniendus; obſervavi porro, quod braſſicam capitatam rubram cum ſale & cumino, modo Germanis conſueto, condiant juxta ac fermentatione ſpontanea in vaſe ligneo clauſo acidam reddant, quæ braſſica muria condita ob colorem elegan-

tem

Digitized by Google

tem ſanguineum oculis & ori gratum in menſa conſtituit ferculum.

Evangelici hic & Sempronii domum ſuam precatoriam in urbe, quæ alias nullibi in tota Hungaria in oppidis, ut nobis relatum, obſervanda, habent; templa urbis ad Patres Societatis Jeſu pertinent. Vale, *Mæcenas Magne*, & in publicum Patriæ, Familiæ, meique bonum diu feliciterque vive, vale, meque ama.

Wolffenbuttelæ, d. 12. Decembr.

1738.

95 - 4 32.19

Digitized by Google

Ad Ep. It. LXXIV.



Digitized by Google